

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos
Distributa

Ilsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCL. De Samaritano ab Jerusalem in Jericho descendente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

300 Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum
serio & ex amore Justificationis suæ nunc quærere
vel quærendo voluit videri amans & cupidus Justifi-
cationis suæ) dixit ad JESVM: Et quis est mens Proxi-
mus ? De hoc enim inter Judæos erat controversia.
Aliqui ex illo Levitici c. 19. v. 18. Diliges Amicum tuum
sicut te ipsum, colligebant, solum Amicum dici Proxi-
mum, & præcipi diligendum: unde omnes infideles
& gentiles interebant odio habendos. Non sic tu
vocabulum generale Proximi restringas ad privatos
Amicos, Consanguineos, Populares, benefactores,
adulatores &c. Nec alios à dilectione excludas, præ-
fertim eos, qui te offenderunt.

M E D I T A T I O C C C L .

De Samaritano ab Jerusalem in Jericho descendente. Luc. 10. v. 30.

PUNCTUM I. Suscipiens autem JESVS dixit: Homo
quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit
in latrones, qui etiam despoliaverunt eum: & plagi impos-
tis abiérunt, semivivo relicto. Luc. 10. v. 30. Hæc est ve-
ra Idea hominis, à statu Gratiæ (qui est Vno Patris,
per nomen Jerusalem significata) recendentis, & in
mortale peccatum sese demittentis, per Jericho, que
Vox Lunam denotat, expressum. Stultus enim pec-
cator, ut Luna mutatur. Latrones autem sunt da-
mones, vel homines, qui in peccatum induxerunt,
per quod homo privatur Gratiâ, sive Veste Nuptiali
Animæ, & omnibus Habitibus Supernaturalibus, ac
Bonorum Operum meritis: & ita Animæ suæ vir-
ibus ex plaga peccati destituitur, ut à morte æternæ
damna-

damnationis, veluti semiivivus seipsum eripere non possit. Abstine ergo ab hoc de Jerusalem in Jericho descensu. Nescis enim, an Divinus Samaritanus, Christus JESVS te miseraturus, tibique occursurus sit; præterquam quod per se gravis sit jactura, tanta bona Animæ amittere.

PUNCT. II. *Accidit autem, ut Sacerdos quidam descendenteret eadem viâ. Et viso illo præterivit. Et similiter Levita, cùm esset secus locum, & videret eum, pertransiit.* v. 31. Hic gravis indicatur Ratio absterrens à prædicto descentu in lethale peccatum: facile enim fieri potest, ut Sacerdos & occasio confitendi peccatum prætereat. Ne verò etiam Tu hanc Sacerdotis & Levitæ inclem tam imiteris, promptè ac benignè obeas officium Confessarij, & quocunque modo ad Conversionem peccatoris juvare studeas. Præterea cave, ne uni tantum hanc opem, ac operam impendas; cùm verò plures alios eadem indigentes, & cum morte Animæ luctantes videris, eos ex laboris tædio, vel humano respectu, vel fastidio quodam prætereas. Noli denique de aliorum hominum ope, vel auxilio in adversis multum confidere; cùm illi videntes, & non juvantes, prætereant, qui maximè deberent misereri, ac opem ferre.

PUNCT. III. *Samaritanus autem quidam iter faciens, venit Iesus eum: & videns eum Misericordia motus est.* v. 33. Disce ab hoc Samaritano benefacere etiam illis, qui inimicitia & odio te prosequuntur: Judæi enim (qualis erat is, qui in latrones incidit) summè oderant Samaritanos, tanquam à fide sua alienos. Observa etiam, quām sæpe illorum misericordia & beneficentiā indigeamus, à quibus minimè sperabamus;

imò

imò quibuscum nobis dissensio, vel inimicitia intercedebat: unde nemo est contemnendus, vel offendendus. Præterea cura, ne tibi eveniat idem, quod Judæis; & sicut Samaritanus leprosus cum aliis novem Judæis à lepra mundatus, eos gratitudine superavit Luc. 17. v. 17. & sicut iste superavit Sacerdotem & Levitam Misericordiâ; sic te ijsdem, vel aliis Virtutibus superent Sæculares, quibus nec fides, nec educatio tantum præfidiij dedit ad Virtutem, quam tibi.

M E D I T A T I O C C C L I .

Continuatio ejusdem Argumenti.

Luc. 10. v. 34.

PUNCTUM I. *Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum, & vinum, & imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, & curam illius egit.* Luc. 10. v. 34. Iste misericors Samaritanus est Figura, & Typus Christi, de Cælo appropiantis Humano Generi propter peccatum originale, & deinde frequenter etiam propter peccata actualia, omnibus Bonis supernaturalibus spoliato, & plagis impositis semivivo relieto. Nam Christus Prædicatione Pænitentiæ, & Divinæ Justitiæ (cui etiam acerbissima Passione sati fecit) comminatione vinum infudit in vulnera peccatorum cum oleo Misericordiæ, quam ipse Genero Humano exhibuit, & quam etiam pænitentibus promisit: deinde alligavit vulnera, saluberrimis praepatis ea restringens, & vinculis Charitatis obligans: præterea imposuit in jumentum suum; Ut tale enim

tracta